



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

V. De reproductione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

jectum, & quatuor existentes in alio subiecto conseruare tres ex quatuor, qui sunt in isto. Si gradus inæqualiter intensi constituerentur, facile dicerem remissiores conseruandos esse ab intensioribus: casu tamen, quo æquæ intensi, & eiusdem virtutis supponantur, existimo in actu primo hos gradus intendere conseruare existentes in alio subiecto, & eosdem intendi conseruari ab aliis, quæ duo coniungi non possunt, quia non potest dari mutua causalitas, ac proinde cum exigentia in actu primo æquales sint Deus determinabit potius hos, quàm illos ut alios conseruent, vel si non determinet, cum æquum sit vtriusque partis ius, neque ista cedet, neque vincetur illa, & ita mutuo impediuntur hæc duo calida, ita ut neutrum alterum conseruet.

11 Nota in opinione P. Lugo asserentis actionem non distinguui à duratione quem referam Contr. 16. non posse dici eandem numero actionem posse dici modò primam productionem, & postea conseruationem, quia secundum hanc sententiam non potest actio existere in duplici instanti, non tamen inferitur ex hac sententia conseruationem, & primam productionem intrinsecè distinguui, quia iuxta principia huius auctoris rectè dicitur eandem actionem, quæ in hoc instanti prima productio dicitur, potuisse dici conseruationem, si immediatè antea non præcessisset alia actio terminata ad eundem terminum, & similiter rectè dicitur, actionem, quæ in hoc instanti conseruatio dicitur potuisse antecedenter in eodem instanti dici primam productionem: ex eo præcisè quod non præcessisset alia actio eundem terminum respiciens.

12 Nota similiter productionem, & conseruationem non distinguui ex eo quod modo incipiat actio, sed ex eo, quod incipiat terminus, quem respicit actio, quia postquam ignis produxit calorem in hoc instanti, etiam si incipiat in sequenti alia actio De determinata ad eundem ignem, conseruatio dicitur & non prima productio: requiritur ergo ad rationem productionis ut distinctæ à conseruatione terminum incipere, & consequenter incipere actionem, quia non potest modo incipere terminus, si actio immediatè antea præcessisset, cum in illo instanti potuerit esse actio sine termino. Ad rationem conseruationis ut distinctæ à prima productione sufficit terminum præcessisse, etiam si incipiat actio: quod si actio præcessit, necessariò cum illa præcessit terminus, & ita non poterit non esse termini conseruatio ut distincta à prima productione.

13 Obiicies non distinguui effectus, qui dependent in conseruari à suis causis, ab illis, qui dicuntur hanc dependentiam non habere cum omnes à suis causis conseruentur, dum hæ sunt applicatæ, & omnes possint coleruari à causa prima deficientibus causis secundis. Respondeo maximam intercedere inter vtriusque differentiam, quia effectus qui dicuntur dependere ab illis, ita dependent, ut causis deficientibus, etiam si Deus possit illos miraculosè conseruare, naturaliter tamen non conseruantur à Deo, quia illi non exposcunt conseruationem illam, quam Deus potest illis præstare, propriis causis absentibus, effectus verò, qui dicuntur non dependere in conseruari à suis causis etiam si de facto ab illis conseruentur dum sunt applicatæ, ita conseruantur ut his causis deficientibus, non solum poterint supernaturaliter conseruari à Deo, sed ipsi hanc exigunt conseruationem; quam Deus præstare tenetur si velit attendere ad exigentiam ipsorum & iuxta illa munus auctoris naturæ adimplere.

PUNCTUM V.

De reproductione.

1 EX eiusdem principiis quibus naturam conseruationis explicauimus possibilitas reproductionis examinanda est. Doctores disputant an possit naturaliter an supernaturaliter dari productio. Procedit difficultas de reproductione permanentium & specialiter de reproductione successiuorum, dicam de omnibus. Circa reproductionis quidditatem inter doctores nullam inuenio diffensionem: definiti potest: *Actio terminata ad effectum, qui tempore mediato existit.* Cæterum dupliciter potest contingere productio effectus eiusdem. Primò per actiones distinctas terminatas ad eundem effectum: secundò per repetitionem eiusdem actionis, quæ tempore mediata præ-

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

cessit, vtrumque reproductionis modum explicabo.

Qui sentiunt accidentia indiuiduari à subiecto repugnante defendunt adhuc successiuè non posse duo accidentia eiusdem speciei in eodem recipi subiecto. Ex quo inferunt semper reproduci in eodem subiecto idem numero accidens, quod antea perierat. Huius doctrinæ fundamentum omnino à veritate est alienum, indiuiduatio enim cuiusvis entitatis formaliter, & intrinsecè ab ipsa desumitur, extrinsecè verò, & causaliter non potest in accidentibus à materia desumi, eadem enim indifferens est ad recipienda accidentia non solum numero, sed etiam specie differentia. Ex diuerso principio eandem doctrinam de reproductione Scotus est amplexus apud P. Soar. disput. 5. Metaphys. sect. 9. num. 1. asserit enim eandem causas eodem modo applicatas semper eundem producere effectum. Ex quo inferit idem accidens toties reproducendum, quoties eadem causæ, à quibus primò fuit productum eodem modo applicentur. Ratio hæc facilem solutionem habet in cuiusvis sententiæ doctrina, qui enim asserunt causam determinari ad indiuiduationem à circumstantiis, dicent his variatis eandem causam diuersum producere effectum, & cum circumstantia temporis diuersa sit, effectus diuersus necessariò contingit. Qui tenent Deum determinare causas ad hoc indiuiduum potius quàm illud producendum, dicent ratione diuersæ determinationis eandem causam diuersum producere effectum, eadem enim causa diuerso modo determinata diuersum effectum producit, eundem produclura, si eodem modo determinaretur. Durand. Metaphys. & alij apud P. Soar. tom. 2. part. 3. disp. 44. sect. 1. tenent non posse idem accidens iterum reproduci adhuc de potentia Dei absoluta, quia eadem non potest iterum repeti, & ubi intercedit noua actio, nouum etiam terminum intercedere oportet. Sententia hæc non bene audit apud omnes & omni fundamento est destituta, falsum enim est non posse diuina intercedente potentia eandem repeti actionem, quod etsi verum esset, non probaret, quia idem terminus plures actiones potest terminare ut patet in effectibus, qui producuntur à causis secundis, & conseruantur tantum à Deo, quod fieri nequit nisi per diuersas actiones, quarum vna sit productio dependens à Deo, & à creatura, & alia sit conseruatio dependens tantum à Deo, quia actio, quæ modò dependet ab his principiis, per se ipsam dependet, & non potest eademmet in aliquo tempore existens ab illorum aliquo non dependere.

Qui dicebant causas determinari quoad indiuiduationem effectus dicunt naturaliter non posse reproduci hunc effectum, quia temporis diuersitas ad diuersos effectus producendos determinat. Impugnaui Controuersia 10. adscribentes extrinsecis circumstantiis effectum indiuiduationem, quo fundamento euerso, alia in hac re querenda via est. Sed adhuc illo stante neutiquam hanc tutam esse censeo. Do circumstantias determinare effectum indiuiduationem, ex quo inferitur in hoc tempore non posse produci effectum huius speciei ab isto numero distinctum, non tamen inferitur hunc numero non posse in hoc vel in illo tempore produci, quia etiam si effectus ex se indifferentiam habeat ut in diuersis temporibus possit produci, dum tempus idem indifferens non sit, ut in illo diuersi effectus producantur optimè indiuiduatio effectuum his circumstantiis adscribitur. Deinde effectum hanc habere indifferentiam sic probo. Hic effectus productus in hoc instanti (loquor de permanentibus) conseruatur per integram horam ab eadem causa ex vi eiusdem actionis: ergo actio, quæ modò incipit existit in fine horæ; ergo in hoc ultimo instanti (transeo ad finem horæ) posset existere, etiam si in præcedentibus non extitisset. Probo consequentiam: actioni secundum se non repugnat existentia in hoc instanti, quia supponimus illam habere, & habuisse in præcedentibus, præcessisse, vel non præcessisse nihil potest physicè conducere ad existentiam actionis in hoc instanti ultimo horæ: ergo sicuti existit in hoc instanti, quando in antecedentibus præcessit, posset in eodem existere, etiam si in nullo præcessisset: ergo sicuti incipit in primo instanti horæ cuius modo est vltimum terminatum instans, potuit incipere in hoc instanti: ergo ratione temporis indifferens est ut incipiat esse in hoc vel in illo instanti: ergo ex hoc capite adhuc in ordine ad causas naturales non est repugnantia in reproductione eiusdem effectus.

A 2 3

Sus

sive per repetitionem termini ex vi diuisarum actionum, siue per repetitionem eiusdem actionis. Mente repete, quæ dixi puncto præcedenti de identitate productionis, & conseruationis, & ex differentia conseruationis ad diuersa tempora eandem indifferentiam productionis ad eadem tempora infero.

4 Conimbr. PP. asserunt lib. 2. cap. 11. quæst. 1. causam non posse producere effectum postquam semel illum produxit, quia manet veluti effecta, & exhausta ex priori productione, & ita non posse iterum eundem edere scetum. Nec bene, nec sufficienter: non bene, quia virtus productiua non minuitur per actiones ab illa procedentes, sed eadē omnino intrinsecē manet, & ita cum eadē fecunditate ad effectum producendum, quia fecunditas causæ ab illius virtute non distinguitur: secundō est virtus exhaustur exercitio suarum operationum, non min⁹, imō magis exhaustiretur, si conseruaret effectum per duas horas continuas, quam si initio illarum effectum produxisset, & actione interrupta, iterum in fine illarum eundem produceret, quia cum non requiratur maior virtus ad producendum, quā ad conseruandum, magis virtutis impenditur in conseruatione effectus per duas horas, quam in conseruatione repetita, quæ simul cum conseruatione tantum durat per vnā horā diuisā. Sufficiens ad rem solutio non esset, etiam si veram contineret doctrinā, quia cum idem numero effectus possit diuisim à duplici causā produci, ex eo quod hæc causā, quæ illum produxit effecta, maneret ad illum corruptum reproducendum non inferatur non posse eundem effectum ab alia causā produci.

5 Neque audiendus est modus, quem refert Suar. dicentium causas creatas naturā suā esse determinatas, vt creatō ordine effectus producant, ratione cuius non possunt iterum ad effectum, qui iam pertransit redire insit enim immediatē venturus, vt effectuum processio rectē ordine-tur. Omni fundamento destituta est effectuum processio, & gratis ficta quam sic dispergo: Conseruat causā hunc effectum per integram horā non obstante hoc effectuum ordine: ergo potest per eandem horā cum aliqua interruptione conseruare, sicuti enim effectus proximē venturus horā integram expectat, vt per illā conseruetur effectus præcedens, cur non per eandem expectabit vt producat, & reproducatur idem effectus? Secundō, vt sæpe dixi, præterisse, vel non præterisse effectum, nihil refert ad illud, quod modō futurum est: ergo ex eo præcisē, quod hic vel ille effectus præcesserit, nullum ius acquirit effectus aliquis ex possibilibus, vt potius ille succedat, quam vt iam præteritus reproducatur. Vltimō, si talis daretur ordo, adhuc alia esset reddenda ratio propter quam effectus, qui ab hac causā ordine debito fuit productus, & iam est corruptus non possit idem ab alia causā ordine seruato inter alios effectus, quos hæc causā producere potest, iterum produci.

6 Sentio ex parte causarum nullam rationem reperiri posse, propter quā idem agens eidem passo applicatum non possit eundem effectum permanentem ex vi eiusdem, siue diuersæ actionis iterum producere, sed totā variationem effectuum oriri ex voluntate Dei determinante causas naturales semper ad novos effectus producendos. Hic dicendi modus non placuerat nostro Suar. 3. part. loco suprà citato, postea verò disput. 5. Metaphysic. sect. 9. ait re attentius considerata sibi valde probabilem videri: eundem tenent Gregorius in 1. distinct. 17. quæst. 4. art. 2. ad 7. & distinct. 35. quæst. 1. art. 1. Tolet. lib. 2. de generat. quæst. vltim. conclus. 2. eidem fauet Fonseca 1. Metaphysic. c. 2. quæst. 3. sect. 8. & quatenus asserit hæc sententia ex parte creaturarum nullam esse repugnantiam in reproductione eiusdem effectus, non differt à sententia, quam tenet Soncin. in 4. distinct. 43. quæst. 3. & Richard. quæst. 1. artic. 6. Probo hanc conclusionem ratione millies repetitā. Præcessisse effectum iam non existentem modō nihil est: ergo hoc, quod est præcessisse non potest impedire causā productiuā, ne modo hanc actionem exerceat respectu huius effectus, aliā causā habet eandem virtutem, quam habebat antequam illum primo produxisset, quia virtus causæ ab illius entitate non distinguitur: ergo poterit eandem actionem exercere cum ex parte virtutis causā potens sit ad illā, & nullum sit impedimentum ratione cuius illius virtus possit impediri. Eadem ratione censeo posse, quatenus est ex se hanc causā reproducere ex vi alijs actionis effectum corruptum, quem alia causā primo pro-

duxerat, quia cum idem effectus contineatur in virtute eiusdem causæ, sicut hæc posset modo hunc producere effectum, si alia eundem non produxisset, ita modō illum poterit producere cum eandem virtutem habeat, & ex nullo capite sit impedita. Non posse hanc causā actionem ab illa exercitam repetere certum est, quia actio per se ipsam dependet à principio, & indifferens non est vt ab hoc vel ab illo dependeat.

7 Affirmo impossibile esse reproductionem effectus siue permanentis, siue successiuū etiam ex vi diuersæ actionis spectato decreto libero Dei determinante causas secundas ad indiuiduationem effectus, quia ex lege ordinaria semper determinatur ad effectus producendos distinctos ab illis, qui iam fuerunt producti. Hanc conclusionem suadet experientia in omnibus viuētib⁹, præcipuē in sensitiuis, in quibus accidentium diuersitas, quā in omnibus intuemur formarum diuersitatem portendit. Circa alias formas præcipuē accidentales non possumus experientia duci, cum enim inter se adeo similia sint, non valent sensus inter hanc, & illam formā ignis, vel aurī, hunc vel illum calorem, hanc vel illam frigiditatem discernere: in his autem, in quibus experientia non est locus possumus iudicium ferre à paritate formarum, quarum diuersitatem noscimus in omnibus, quos possumus experiri. Secundō, id videtur naturæ conformius, quia cum causæ in se innumeros contineant effectus magis naturæ diuitias ostendunt, dum semper nouis illam effectibus ornant, & magis contentanem ne sæpè actum agant, sed vt semper ad novos partus determinentur.

8 De successiuis nonnullis longam instituunt disputationem, ego verò vir disparitatis vmbra inuenio inter permanentia, & successiua, illa inter se consero. Successiua sumi possunt quatenus dicunt hanc successionem cum hac numero duratione successiue fluente: secundum hanc rationem extra controuersiam est non posse reproduci, quia duratio, quæ est hodie, etiam si non esset non posset crastina die produci, quia implicat ipsam existere die crastina: ergo postquam fuit hodie non potest reproduci crastina die, non quia producta fuit hodie, sed quia ipsa secundum se antecederet ad omnem actionem, seu corruptionem circa illam repugnat crastina die existere, & ita reproduciō motus cum duratione, quæ fuit hodie repugnat die crastina non formaliter vt reproduciō, quia, vt dixi, etiam hodie producta non esset crastina repugnare, sed præcisē per suam entitatem, quæ affixa est diei hodierno, & extra illum existere nequit. Hæc dixerim siue duratio sit accidēs superadditum, quia hoc debet constitui affixum huic temporī imaginario, sicuti præsentia loco imaginario affigitur siue dicat connotationem ad tempus reale vel imaginariū, quia hæc debet esse cum hoc ordine prioris, & posterioris, qui repugnat esse eundem hodie, & cras. Hoc idē contingit in permanentibus, quia eodem modo repugnat Petrum, qui fuit heri, & modō non est, reproduci crastina die cum duratione quam habuit heri non præcisē, quia heri fuit productus cū illa duratione, sed quia duratio quæ fuit heri antecederet ad omnem sui productionem & corruptionem habet repugnantiam ad existendum crastina die.

9 De motu, qui successiue fit secundum se sumpto sentio eodem modo posse ex natura rei reproduci, & tantum illius reproductionem repugnare ex lege Dei, sicuti de permanentibus dictum est. Ratio est, quia motus successiuus etiam si essentialiter fit successiuus ratione successionis non est affixus huic, vel illi determinatæ durationi, sed tantum perit illius partes inter se non coexistere, quæ secundum se indifferentes sunt ad existendum die crastina, vel hodiernā, dummodo non omnes simul existant, quia si multas opponitur successioni, quam dicit motus: ergo postquam motus successiue extitit hodie ex vi huius durationis, poterit ex vi alijs distinctæ iterum successiue existere crastina die. Verge eadē ratione, quā argumentabar in permanentibus. Hic motus successiuus, qui fuit hodie, si de facto nō fuisset hodie posset crastina die produci, cū duratione distincta ab illa, quā hodie habuit: ergo etiam postquā fuisset hodie, poterit eodē modo produci, quia hodie fuisse vel non fuisse nihil refert, neque aliquid potest cōducere respectu illius, quod est crastina die futurum. Concludo ex his eandem omnino esse rationem de productione permanentium, & successiuorum, in qua conclusione sequor Aureolum apud Capreolum in 4. distinct. 48. quæst. 1. artic. 2. Maironium distinct. 44. quæst. 3. & nostrum Suar. suprà.

Argumenta,

Argumenta, quæ contra reproductionem successiuorum sunt quædam supponunt motum successiuum per suam essentiam esse actum huic spatio, quod falsum est. Alia petuntur ex duratione motus successiuui, qui reproduci non potest, quod nos concedimus, quia non contendimus posse motum reproduci crastina die cum eadem duratione, quam habuit hodie, sed cum diuersa. Aliam inferunt repugnantiam reproductionis ex successione, quæ essentialis est motui, quæ antecedenti omisso recta illatione non nituntur, si enim totum motum, quem ego habui proxime elapsum repeterem, postea venturum eodem ordine partium aduenientium perenni quodam fluxu quin vna alteri coexistet, quid tunc fieret contra successione motus: Dixi omisso antecedenti, quia nullus est motus localis ita necessarius successiuus, cuius partes de potentia Dei absoluta coexistere non possint, quia cum ego possum simul de potentia Dei absoluta retinere præsentiam, quam habui in instanti præcedenti, & aliam acquisitam in hoc instanti, & in eodem indiuisibili instanti duplicem præsentiam immediatè acquirere, quas successiuè eram naturaliter acquisiturus, possunt simul existere actiones, ex vi quarum hæ præsentia producantur, quæ sunt eadem partes, quæ eundem motum successiuum componerent, ex quo deducitur motum localem, qui omnium est magis successiuus non esse essentialiter successiuum in actu secundo, licet essentialiter, hoc est per suam essentiam successione exigat. Infero, ex his posse Deum in instanti simul producere motum successiuum iam corruptum non formaliter vt successiuum, sed nudè sumptum secundum suam entitatem, & secundum omnes sui partes.

PUNCTUM VI.

De natura motus.

Integram disputationem multis Punctis sectam multi replent de natura motus, apud quos nihil inuenio, quod non possit paucis cingi, explicatæ enim naturæ actionis, & passionis, facili quæ specialia sunt motui, explicantur.

Duplex genus entis cognouit Aristoteles, vnum in actu, aliud in potentia, & hoc ens tam intra genus causæ efficientis, quam materialis, seu patientis. Ens in potentia intra genus efficientis dicitur illud, quod potest agere, seu actiue potens mouere passum, ens in actu dicitur principium actuum non solum potens mouere subiectum, sed iam illud mouens. Ens in potentia intra genus causæ materialis dicitur subiectum, quod aptum est vt moueatur, quod mobile dicitur. Ens in actu dicitur ipsum mobile, non solum quatenus est potens moueri: sed quatenus, iam actu mouetur, & motu denominatur. Vtrumque ens in actu addit supra ens in potentia rationem per quam vnum constituitur mouens, & aliud constituitur motum: hæc ratio est ipsa entitas motus, quæ quatenus procedit ab hoc principio illud mouens denominatur, & quatenus in hoc recipitur illud constituitur motum, sicut eadem actio quatenus procedit ac hoc principio illud denominatur agens, & quatenus in hoc recipitur, illud passum constituitur. Hæc dixerat tradit Philosophus text. 6. illius do verba: cum autem in vnoquoque genere (hoc est in genere causæ efficientis, & in genere causæ materialis) aliud quidem actum, aliud potentia esse diuisimus, eius, quod potentia est, (hoc est, potentis actiue moueri, & potentis moueri passiuè) quatenus tale est (id est quatenus habet potentiam vt moueat, & vt moueatur) actus motus est, hoc est motus, qui constituitur actu mouens, & actum motum, & vtramque potentiam ad actum reducit. His consonant verba Arist. text. 23. vbi motum vocat actum actiui, & passiuum, id est potentis actiue moueri, & passiuè moueri. Quod igitur motus sit, &c. Alteratio enim alterabilis, quatenus est alterabilis actus est. Amplius autem notius est eius, quod potentia actiui, & passiuum, &c. En expresse motum appellat Aristoteles actiui, & passiuum quod est idem, ac dicere motum constituere formaliter agens, & patientis, siue mouens, & motum. Aristoteles enim nominibus agentis, aut mouentis, & passi aut moti, sicuti nomine actionis, & motus indifferenter utitur.

Ex his Aristotelis testimonio vulgaris emanauit definitio motus, quæ sic circumferitur: Actus entis in potentia quatenus est in potentia, quam explicat Conimbr. de motu successiuo, cuius priores partes relinquit subiectum in

potentia ad posteriores, & ita dicitur actus in potentia quatenus est in potentia ad partes vteriores motus. Expositionem hanc ferè omnes reiciunt, quia hæc pars motus non est actus mobilis quatenus mobile potest recipere aliam partem, sed quatenus est potens illam recipere, neque ad hoc vt hæc pars motus mobile constituat motum, quidquam spectat potentia, quam habet idem mobile ad aliam partem, quia etiam si mobile hanc tantum & non aliam posset recipere, ex vi huius moueretur, sicuti mouetur ex vi vltimæ partis motus, quæ subiectum non relinquit in potentia ad aliam partem eiusdem motus. Confirmatur: ad hoc vt motus calefactionis subiectum constituat motum impertinens est subiectum relinqui in potentia ad motum humectationis, quia calefactio nullo modo respicit potentiam ad humectationem: ergo impertinens est ad hoc vt hæc pars motus moueat subiectum hoc relinqui in potentia ad aliam partem motus. Responda etiam est hæc expositio, quia iuxta illam tantum motus successiuus definitione comprehenditur, quo nihil magis alienum à mente Philosophi, qui exemplum motus, quem definiebat in generatione adhibuit, quæ successiuæ non est.

Existimauit P. Rubius hic definitionem hanc omni motui competere, quia sic actus subiectum, vt illud relinquit in potentia ad terminum non quidem negatiue sicuti prima pars motus illud relinquit in potentia ad aliam, sed positiue tanquam via & ordinatio ad terminum, ad quem posset dici subiectum in via relinquire. Non placet expositio neque percipio quomodo actio relinquit subiectum in potentia ad terminum cum ipsa sit formalissimè actuator terminum in subiecto: rogo ad quid actio subiectum relinquit in potentia respectu termini, nonne ad substantiam termini secundum se, & non recipiendam, seu causandam ab ipso subiecto? nullo modo, quia subiectum nullam habet potentiam respectu termini ita nudè sumpti & absolute ab omni causalitate, inhæsiōe, seu receptione. Ad terminum recipiendum, seu causandum? nullo modo, quia actio est, per quod formaliter subiectum actu recipit, & actu terminum causat: ergo nullo modo actio relinquit subiectum in potentia ad terminum. Vrgetur: ex vi actionis terminus vel est actu receptus, & causatus à subiecto, vel non, si est receptus, & causatus: ergo iam posita actione subiectum non est in potentia, sed in actu ad terminum, quia tantum potentia passiuæ subiecti terminum recipit vt recipiendum, & vt causandum: ergo cum respectu illius vt recipiendi seu causandi ex vi actionis sit iam formaliter in actu, sub nulla ratione posita actione manet in potentia ad terminum.

Existimo mentem Philosophi luce esse clariorem, neque scio quo fato difficultatem in hac definitione explicanda auctores affectent. Dico ex mente Philosophi cum nostro Toletæ ad cap. 2. text. 6. particulam illam *provi in potentia* exprimere rationem formalem in ordine ad quam, seu respectu cuius motus dicitur actus, dicit enim Philosophus, motum esse actum entis in potentia, seu mobilis, & subdit postea: quatenus est in potentia, hoc est, quatenus mobile est, ac si diceret: motus est actus mobilis, non materialiter sumpti quatenus est lignum vel aurum, sed formaliter sumpti quatenus est mobile: ac si dicerem ego: calefactio est actus ligni calefactibilis, non quatenus est lignum, sed formaliter quatenus est calefactibile, seu quatenus est potens caleferi: sic motum definit Aristoteles supra per actum eius quod potentia est, quatenus tale est, hoc est, quatenus est potentia ad motum, quibus verbis clariùs natura motus explicatur, quam illis quatenus est in potentia, quæ apud Aristotelem non inueniuntur. Clarissimè prædictæ explanationis sensum apud Aristotelem habemus text. 9. vbi eandem ferè definitionem his verbis reperit: eius quod potentia existit quatenus mobile motus est (id est actus) & potentia: illud quatenus mobile sic explicat: Dico autem quatenus sic: est enim as potentia statua, attamen æris actus, quatenus as motus non est. As est potentia ad motum, ex vi cuius sit forma statua, & motus ille actus est æris, quod moueri potest, quatenus potest moueri, & in formam statua recipere, non tamen æris materialiter sumpti quatenus est æs, quia si æs moueri non posset, etiam si formalissimè esset æs motus non esset actus illius. Constat clarè ex mente Aristotelis sensum definitionis esse, motum actum esse mobilis vt mobilis, seu potentis moueri quatenus potens moueri, qui propriissimus est verborum, quibus Aristoteles motum explicat, quarum reduplicatio in